

Q. K. 94, 22.

II n
3419

X 13.03.400

ORATIO

IN FUNERE

Celsissimi Principis ac Domini, Dn.


GEORGII FRIDERICI,

MARCHIONIS BRANDENBURGENSIS, BORSSE-
RUM, STETINI POMERANORVM, CASSUBIORVM, VAN-
dalorum, & in Iegerndorf Silesiorum Ducis: Burggravi
Noribergens. & Principis Rugiæ:

Habita vvittebergæ D. XIV. Iunii,

Anno M. D. CIII.

A
Friderico Taubmanno,
VVonsesensi.



Typis Zachariæ Lehmanni, Impensis Pauli Heluvichii.



Serenissimis ac Illustriss.
PRINCIPIBUS,

IOACHIMO-FRIDERICO,
CHRISTIANO, ET
IOACHIMO-ERNESTO,
Fratribus:


ILLI

Sacr. Rom. Imp. Archi-Camerario & Electori;

OMNIBUS

MARCHIONIBUS BRANDENBURGICIS,
Borussia, Stetini Pomeranorum, Cassubiorum,
Vandalorum, nec non Silesia Crosnensium &
Iegerndorsens. Ducibb. Burggravu. Noriberg.
Rugiaeq. Principibb.

Domini suis Clementiss.


RATIONEM, quam de Principe
 illustris. GEORGIO FRIDERICO
 Marchione Brandenburgensi, A-
 gnato vestro, Witebergæ habui, *Serenissimi*
Principes, ad vos mittere volui, vel debui po-
 tius: ob causas non unas. Nam siue argu-
 mentum, siue me videam, cui magis quam
 vobis debeo? Vos ij estis, quos Princeps ille
 meus, (*Meum* appello, quod idem meritis
uum me fecit) omnium, quæ in humanis
 tenuit, hæredes reliquit: atq; in istis me
 quoq; veluti magnæ domus parvam siue
 ad ornatum, siue usum supellectilem: atq;
 utinam ad utrumq; ! Ille est, sub quo *jucundum*
hoc, ut Poeta loquitur, *Solis lumen adspexi*, vi-
 tamq; in annos benè multos produxi. Ille,
 cuius auspicio domi in bonis litteris spei
 rudimentum dedi: Ille, cuius indultu, fo-
 ris rei experimentum. Quorum memo-
 riam uti deponerem, Ratio non permisit,
 & Pietas magnopere dissuasit. Eius itaq;

rei argumentum esse volui hanc orationem, quam eo ipso die *VVittembergæ* in Saxoniâ habebam, quo vos *Heilsbrunnæ* in Franconiâ defuncto exsequias ibatis: & quam fortasse (ut mihi quidem videtur) in concione publicâ voce & vultu ita animavi, ut eadem nunc lecta possit videri quoddam quasi cadauer. Hoc ego scio, & liberè de me dico, (testes laudo Auditores) me alicubi inter recitandum expalluisse, alicubi ingemuisse, alicubi etiam lacrimas misisse: ubi aliquis Lector nec colorem mutet, nec gemitum edat, ne dicam lacrimas. Quicquid sit, ego certè, ut Hæreditas vestra omni ex parte integra esset, hanc quasi libellam deesse nolui: quam Vos, Serenissimi Principes, à Cliente adservatam, quæ vestra prudentia est, ut spero, non negligetis; & me quoq; immò & meos, exemplo Principis heu quòdam mei, in extremâ parte Clementiæ vestræ hæerere patiemini. Tuq; in primis,

Gene

Generosissime CHRISTIANE, qui in istâ
 Hæreditate eam nactus es terram, quæ mi-
 norem (ut vocant) patriam meam *Uvun-*
sesium continet: quæ quidem, ut ingenium
 est istius loci, si *Vlysses* aliquem noviti-
 um dedisset, possit ad exemplum vetus,
Ἰσχυρὸς καὶ τεραστία Ἰσάκας nominari. Sed & tu,
 Illustris. IOACHIME ERNESTE, quem fa-
 ma est ingenium & faciem defuncti Prin-
 cipis possidere, aut certè minari; parem
 cum *Fratre* de me meisq; (ita supplico) cu-
 ram habeatis. Vt enim Illiusterra viven-
 di initium mihi dedit; ita tua, Generosissi-
 me Princeps, benè vivendi: quippe quem
 officina Pietatis & Litterarum *Heilsbrunna*
 tua, sub magisterio ipsum decennium
 tenuit. Cuius quidem rei sive fructum si-
 ve specimen, hanc *Orationem* Illustrissimæ
 vestræ Celsitati exhibeo. Quæ vt benignè
 habeatur, si causa nulla sit in me, qui dixi;
 certè vna omnium maxima est in eo, de


quo dixi. Praga Bohemorum, quò animi
& Amicos salutandi gratia excurreram,
occasione improvisa commodum oblata.
XVII. Augusti-Julij, anno Christiano
M.D.CIII.

V. V.

Celsitudini devotiss.

Erid. Taubmanus, Poeta & Professor Ordinarius.

PRORECTOR ACADE-
MIÆ VVITEBERGENSIS, LUCAS BECK-
MANNVS, L.V.D. ET PROFESSOR PUBLICVS.

LEXANDRUM ILLUM MACEDONEM
non abs re Magnum appellatum, (fuit enim
non solum bellator fortissimus, sed etiam, quod
cum paucis commune habet, rex doctissimus) cum in Si-
ges ad Achillis tumulum adstitisset, dixisse ferunt, For-
tunatum illum adolescentem esse, qui suæ virtutis Ho-
merum preconem invenisset. Cujus dicti veritatem
Oratorum maximus M. Tullius ea tum laudatione,
tum approbatione prosequitur, ut affirmet, futurum fuisse,

nisi

nisi Ilias extitisset illa, ut idem tumulus, qui corpus eius
contexerat, nomen etiam obruisset. Etsi enim virtus
ipsa sibi pulcherrima atque amplissima merces est, neque
verborum honorem ac praconium moratur, aut deside-
rat: interest tamen Reipublicae, bene meritorum Principum
virorum memoriam honorifica mentione cum omni po-
steritate adaequari. Non quidem quod ipsorum meritis
aut digna laus impartiri, aut debita gratia persolvi pos-
sit: sed ut alii contemplatione eorum virtutis ad similes
aut majorem etiam praestantiam atque gloriam exciten-
tur. Id autem nulla re alia, nisi hominum doctorum ac
disertorum ingeniis ac monumentis consequi licet. Nun-
quam igitur satis pro dignitate commendari atque esti-
mari potest industria eorum, qui orationis facultate vir-
tutis splendorem illustrant, & verissimis pulcerrimisque
stili sui coloribus tanquam in tabula expressum, in Me-
morie atque Honoris templo ad immortalitatem suspen-
dunt. Quod cum in mentem venisset FRIDERICO TAUB-
MANNO, Viro & Poeta clarissimo, Collega optatissimo:
quid partium suarum esse deberet, neque pro oblito habe-
re potuit, neque non quam luculentissime, quo ad ejus fieri
tempora permitterent, representare studuit. Itaque cum
superioribus septimanis ita accidisset, ut illustrissimus

Prin

Princeps GEORGIVS FRIDERICVS, Marchio Bran-
denburgensis, Dux Borussia, vitam illam eternam cum
hac mortali commutaret, & hic ipse dies ducendis atque
cohonestandis solenni pompa exequiis illius destinaretur:
statuit praedictus TAUBMANUS manes optimi illius,
& optimè de se meriti Principis oratione funebri postea
HORA II. celebrare. Quam ejus pietatem & in gra-
tiis laudibusque magno illi Nutritio suo persolvendis ve-
nerationem ut nos ejus Collega non possumus non suspice-
re & probare, ita vestrum erit, qui in rerum & divina-
rum & humanarum studiis hic versamini, ad similem
officii cultum extimulari, & ad Orationem eam auscul-
tandam frequentes convenire: audituri de Principe ob
eximias & verè Christianas virtutes omni laude cumu-
lato, ex ore hominis facundissimi, & praconis tali Prin-
cipe dignissimi. Publicè Prop. die XIV. Junii, Anno
M. D. CIII.



ORA

ORATIO IN FUNERE GEORGII FRID. MARCH.

BRANDENBURG.

HODIERNO DIE, & si non fallunt,
quâs cura talium demandata est, hâc ipsâ
horâ, exsuviaz magni Principis, *GEORGII
FRIDERICI Marchionis Brandenburgici, et Du-
cis Borussiae, Heilsbrunnæ in Franconiâ terræ man-
dantur.* De quo cum aliquid dicendum mihi jus
tasq; videretur, hoc ipsum tempus, quod quidem eom-
modissimum aliis quoq; visum est, de industriâ ele-
gi. Cæterum vos ego mirari, credo, Auditores, quid
sit, quòd, cum tot summi loci atq; ordinis homines,
inq; omni doctrinarum genere excellentes, atq; etiam
Oratores sedeant, ego potissimû surrexerim; is, qui
neq; ætate, neq; ingenio, neq; auctoritate sum cum iis,
qui sedeant, comparandus. Deinde & hoc nonnullos
mirari posse intelligo, quòd in Saxoniâ, atq; hîc VVit-
tenbergæ, dicturus sim de Principe extraneo, qui in
Franconiâ sedem & imperium tenuit. Interim ta-
men non dubito, quin pars vestrûm multò maxima
optimum illum Principem putetis oportere laudari:
laudari à vobis, ob causas fortasse domi notas nec
mihi nunc exponendas, aut non commodum, aut in-

XVIII.
Calend.
Quintil.

B

usita.

A

usitatum. Quid ergo? idoneus ego ex omnibus?
 minimè. At tanto officiosior, quàm cæteri? ne isti-
 us quidem laudis ita sum cupidus, ut aliis eam prære-
 ptam velim. Quæ me igitur res præter cæteros im-
 pulit, ut huc conscenderem, & laudationem Principis
 instituerem? Dicam, Auditores. Terra, quæ me
 primùm excepit nascentem, illa, inquam, antiquissi-
 ma & sanctissima parens, quæ carior nobis esse de-
 bet, quàm nosmetipsi, sub Principis hujus potestate
 ac dominatu erat. Sub hoc ego Principe incunabu-
 la & rudimenta Pietatis & Litterarum posui. Hic
 me egentem & fami sedandæ reliquias atrii panis ab
 hesternâ cænâ Culmbachii ostiatim flagitantem (nec
 caussa est, cur me facinoris istius pudeat) liberali de-
 inceps curâ & sumptu decennium in scholâ Principa-
 li apud Heilsbrunnenses educi curavit. Hic cum
 stipendio V Vitebergam missum, in spem Reip. litte-
 rariæ doceri amplius etiam voluit. Hic me, cum i-
 psi libertatem beneficio vendidissent, Principi Saxo-
 niæ cupienti, ut juventutem, quâ possem, hîc docerem,
 benignè indulxit. Cujus ergò auspicio sumtuq; in
 studiis litterarum & pietatis eductus fui: cujus indul-
 tu Professoriam linguam in annum jam octavum
 hîc exerceo: ejusdem ego honori tantillum verborum
 non impenderem? ad unius horæ spacium linguam
 & opellam qualemcunq; meam eidem non gratifi-
 carer?

carer? Nec ita etiam extraneus & alienus est hic Princeps, ut nefas sit memoriã ejus apud nostros celebrari, nisi fortè alienus videri debeat, qui ex omnibus Germaniæ Academiis unam hanc elegit, cui juventutem suam pro bono Reip. erudiendam committeret: qui Fidei professione nostris conjunctissimus: qui Scholas atq; Ecclesias Principatum suorum ad faciem Saxonicarũ afformavit: qui in istis oris doctrinæ orthodoxæ, quã Lutherus spiritu & voce ex hãc ipsã cathedrã olim propugnabat, adsertor & custos acerrimus: qui deniq; & matrem habuit Electoris Augusti verè augusti germanam sororem. Præterea, ut hoc officium solemne & sanctum Principi optimo persolverem, à me etiã ii contenderunt, qui apud me & amicitia, & beneficiis, & dignitate plurimum possunt; quorum neq; ego benevolentiam erga me ignorare, neq; auctoritatem aspernari, neq; voluntatẽ negligere debuerim. His de causis ego partes dicendi hodierno die in me transferri passus sum. Non electus unus, qui maximo ingenio, sed relictus ex omnibus, qui maximo meo merito deberem dicere: neq; uti satis prodignitate laudatus noster Princeps, verum uti ne omninò illaudatus hinc esset. Quamvis autem libentius in habitum Poëtarum, hoc est, mentem; quàm in Oratorum & alienum me composuissem: & fortasse etiam feliciter in eã palæstrã, in quã magis exercita-

G. FR. IDE-
RICVS
moritur
VI. Calend.
Majis, anno
M. DC. III.

tus saepiusq; vobis spectatus, neq; adeò displicere vi-
sus sum, me jactassem: consultius tamen facere me
existimabam, si hanc, quam me nunc ire cognosci-
tis, viam insisterem. Nam & animus ob inopinatum
tanti Principis obitum percussus, meditari quid ac-
curatius vix patitur: & tempus, quo Carmen pro re
tantâ modulari poteram, nunc ita me defecit, ut ad
hanc prosæ & pedestris orationis libertatem ægrè sus-
fecerim. Nam si quis vestrûm est, qui opinetur, eâ-
dem facilitate carmen scribi *Musis & Apolline dignum*,
quâ liberam numeris orationem, is sciat se in cras-
simo errore versari. Præcipua tamen causa, cur ad
hanc faciem orare maluerim, erat, quòd, quicquid in
carmine de Principe magnificentum prædicassem, videri
potuisset ad pompam magis & ostentationem in-
genii comparatum: meq; numeris potiùs atq; inven-
tionum acumini obsecutum, quàm veritati: cum in
istâ multitudine Poetarum plerosq; inter se certare
videamus, non, qui melius præ altero carmen faciat,
sed qui liberius inanes istos aduletur, & quàm blan-
dissimè fallat. adeò quidem, ut in toto hoc genere fa-
cilius invenire sit decem Placentinos aut Laudenses,
quàm unum aliquem Veronensem. A quâ culpâ atq;
etiam suspicione & me & Principem meum hoc mo-
do liberare volui. Porro laudes mortuorum orati-
one prosequi, nec novum nec inusitatum cuiquam

videri

videri debet: cum ab antiquo ævo Pericles in Græciâ legatur pro concione laudasse in bello Peloponne- siaco interfectos; apud Romanos P. Valerius Publi- cola collegam suum L. Iunium Brutum, primum post exactos reges Consulem: adeoq; legibus XII. tabula- rum religiosè sancitum sit, ut honoratorum virorum laudes publicè decantentur. Nec est obscurum, quid in Repub. Christianâ Divus Ambrosius fecerit: quo pacto Valentinianum, Theodosium & Gratianum sum nos Imperatores pro concione funebri lauda- tum ierit: ne dicam, quod omnis VVitteberga no- vit, quomodo haud ita pridem ab hâc ipsâ cathedrâ (nam pulpita etiamnum calere à voce præconis sen- tio; credo, vos isthinc etiam subsellia) *Serenissimi Ele- ctoris Christiani II. Domini nostri clementissimi iussu,* Princeps longè optimus, qui Electuræ Saxonicæ cu- ram & tutelam ad decennium gesserat, laudatus fue- rit. Quid nî ergo & meus Princeps, quem illi ipsi Principes, quos ab omni memoriâ laudatos esse jam dixi, haud dubiè laudassent, pro suis virtutibus ac meritis in Remp. atq; in primis Christianam, hîc præ- dicetur? Princeps quidem meus, si virtutes intuea- re Principales, nulli eorum facile inferior: in eo ta- men fortasse omnibus cesserit, quòd, nescio quâ for- tunâ, me potius, quàm alium quemvis suarum Vir- tutum præconem nactus sit: qui cum iis, qui suos lau-

FRID.
GVLIEL.
MVS, Dux
Sax.

darunt, nullâ in parte æquari debeam. Quamquam causas, quæ me ad hanc causam impulerint, ex iis, quæ dixi, cognoscere potuistis. Præterea & rerum tanta vis & copia ultrò suppeditat, ut majus aliquod ingenium, quod in inveniendis sagat, hîc opus esse non videatur; ut nec judicium, indigerendo: cum ipsa vitæ series distinctè & ordinatim singula disponat: auctoritatem verò splendor & religio Veritatis, quæ in hoc argumento quasi dominatur, conciliare dicenti valeat. Verum enim verò, Auditores, dum de Illustrissimo Principe, *GEORGIO FRIDERICO MARCHIONE BRANDENBURgico* me dicturum professus sum, nemo vestrum me ita confidentem aut temerarium arbitretur, ac si propositum mihi sit, universas ejusdem laudes, quæ tantæ ac propè infinitæ sunt, in hanc unam sive horam sive orationunculam includere. non ita vel mei, vel Principis, vel modestiæ oblitus sum, Auditores. quin ex infinito laudum numero capita modò rerum & fastigia decerpam breviter & delibabo. Quod dum facio, oro obtestorq; vos, per illum ipsum Principem, de quo verba sum facturus, ut me attentè bonâq; cum veniâ audiatis. Causæ & vestrâ benignitate fretus, plus oneris sustuli, quàm ferre me posse intelligo. hoc onus si vos aliquâ ex parte allevabitis, feram ut poterò, studio & industriâ, Auditores. Sin à vobis (id quod

non

non spero) deserar; tamen animo non deficiam: & id, quod suscepi, quoad potero, perferam. quòd si perferre non potero: opprimi me onere officii malo, quàm id, quod mihi à Pietate semel imponi sum passus, aut improbè abjicere, aut propter infirmitatem animi deponere Te quoque, *Johan-Friderice Bon-Burkersroda* / virtute, litteris, & genere Nobilis, qui *AUGUSTI* Principis & Rectoris nostri verè augusti curiæ moribusq; Præfectus, magnoperè quæso: ut qualem se jam antea Generosiss. noster Princeps huic Auditorio præbuit, cum in simili argumento hîc adesset, talem te, qui ob fonticam causam nunc absentis optio quasi ac vicarius es, mihi, & imprimis meo *Principi* hodiernâ die impertias. Nolim autem vos suspicari, Auditores, me aut amore Principis mei, aut orationi exornandæ, quod in hoc genere fieri consuevit, aliquid majus, quàm pro re, velle exaggerare. Palàm dico, &, ut spero, cum veniâ eorum, qui Principem hunc propius noverunt; si ulli unquam Christianæ Reipublicæ Principi defuncto justus honos est habitus, eum noster promeruit: cui similes fortasse multos reperias, nescio an etiam aliquot pares. Si dignitatem quæramus in antiquitate generis; hoc quidem omnium antiquissimum esse fortasse non docuerim: antiquissimam autem atq; adeò potentissimam Imperii Romani Marchiam Princi-

AUGV.
STVS Dux
Sax. CHRIS-
TIANI
L. Filius,
Academiæ
Viteber.
RECTOR

pis

v. v. Gurck-
felderus Hi-
storicus, in
Genealogiis
necdum e-
ditis.

V. V. V.
T. S. R. K.
I. S. R. O. R.
I. M. A. L. T.
I. S. R. O. R.
I. S. R. O. R.
I. S. R. O. R.

*
Iure verba
ita suspēdo:
nam & hic
Auctores
variant.

FRIDERI-
CVS Burg-
grav. Norib.
designatur
Elect. Mar.
Brand. Anno
M. C. D.
XVII.
Moritur Ca-
doltzburghi
in Franco-
niā, anno
M. C. D. XL.

pis nostri Majores virtute & jure Germano insedisse,
hoc vero dixerim. Non sum Genealogus, neq; in-
stituti mei est, generis seriem ab ultimo usq; princi-
pio arcessere: vidi tamen, præter alios, *Venceslaum*
Gurckfelderum Tarnovitzio-Silesium, Principi nostro *O-*
moltzbachii à Secretis, Virum industrium, atq; in o-
mni liberali historiâ eximium, gentis hujus seriem ut
à parvis initiis, sic pervetustis inter admirandas, &
ut sic dicam, multiformes cum Fortunatum Virtu-
tis semitas, ad hoc fastigium, quo toti nunc terrarum
Orbi conspicua est, revocasse. Quamquam non
tàm refert, quàm diu quis inter mortales notus, sed
quàm benè fuerit. Atq; ut omittam, quâ tempesta-
te & viâ *Petrus Columna* ille, Patricius Romanorum
Nobilissimus (quem alii ex antiquissima *Camillorum*,
alii *Guelphorum* stirpe deduxere) Pontifice R. in ordi-
nem & vincula ab se coacto, in Germaniam ad Hen-
ricum IV. Imp. profugiens, gentem *Zöllerianam* vel cō-
didisse, vel * amplificasse perhibeatur; vel qua ætate
aut virtute ipsi *Comites von Zöllern* surculus & plan-
tarium; vel quâ deniq; *Burggravii Noribergenses*,
stirps & robur *Arboris* hujus (ut sic dicam) *terminalis*
& *Marchiæ*, per suos quasi gradus effloruerint:
quis nescit, quibus auspiciis *Fridericus*, ob res sapien-
ter fortiterq; domi belliq; per Hungariam, Bohemi-
am, atq; in Imperio gestas, ab Imperatore *Sigismundo*

Con-

Constantiæ sit designatus Marchio & Elector Brandenburgensis, cã ipsã tempestate, quam Iohannes Huls suo & sanguine & carbone ad mundi hujus veluti parietes memoriæ posteritatis Christianæ consignavit? Quid hujus *Filium Patri cognominem*, atq; à virtute bellicã, *Marchio cum ferreis dentibus*, appellatum, commemorem? quã is virtute Pomeraniam oppugnãrit, quã Saxoniam propugnãrit; quã animi magnitudine Coronam regni Polonici, quam alius vitã & sanguine affectasset, ultrò delatam recusarit. Eundem filiam Electoris Saxonie *Friderici I. Bellicosi* uxorem habuisse, nihil attinet hinc commemorare: nisi fortè argumentum faciat, cuiusmodi fructus ab insitione tanti surculi in tam generosam stirpem expectari debuerit: quã item antiqua sit animorum et sanguinis illa inter domum Saxonicam & Brandenburgicam, quæ hodieq; durat, porroq; ut duret Deum veneror, conjunctio. Quid autem fratrem hujus & Electuræ successorem *Albertum*? Homere viveres! haberes novum Achillem, novum Ulysssem. Nam hic Albertus eo seculo, quo alios adulari minimè solebant, utrumq; & *Achillis Germanici*, & *Ulyssis* cognomentum, atq; à summo Pontifice, ne tu plebeculam fecisse censeas, promeruit. Nobilitas generis, staturæ proceritas, oris venustas, robur firmitasq; corporis, animi excellentis magnitudo & præstantia, lin-

FRIDERI-
CVS II. E-
lect. moritur
M. CD.
LXX.

ALBERTVS Achil-
les Germanicus nascitur M. CD. XIV.
Moritur Franc furti ad Manum in balneo, M. CD. LXXXVI. Liberos XII. parrens.

C

gvæ

Enchiridion
aristotelis.

gvæ facundia admirabilem hunc, & penitus divinum reddidère. Vix angulum in Germaniâ reperti censent, quem armatus non calcârit: vix ullum genus belli, in quo Fortuna ipsum non exercuerit. Primus inibat pugnam, eâdem postremus excedebat. In oppugnatione urbium muros sæpe omnium primus adscensu superabat. neq; enim dicta sua sed facta milites sequi volebat; nec disciplinam modo, sed exemplum etiam ab se petere. Certamen singulare & duellum nunquam recusavit. Deciessepties solo tectus clypeo & galeâ, cætera nudus, hastâ præpilatâ armatos deturbasse equo scribitur, ipse damni semper expers. Summâ, quas Notas in legitimo Imperatore requirunt, in illo omnes erant, Scientia, Virtus, Providentia, Felicitas, Auctoritas. Hinc cum universæ superioris Germaniæ civitates Noribergensibus contra ipsum suppetias meditarentur, cuidam interroganti, cur in unum Principem, atq; eum non ita potentem, tanto cum apparatu bellum susciperent; quidam è primoribus Civitatum respondit; Ecquid tu nescis, in Alberti calliditate & fortitudine omnium Germaniæ Principum vires atq; oopes contineri? Certè Noribergenses & socias Civitates octo præliis vicit, nono victus est, nec tam Virtute, ut credas, quàm fato. Atq; ut frater *Friderici I. Saxonie Bellicosi*: ita hic *Friderici II. Placidi* filiam uxorem habuit.

buit.

buit. Quid Alberti filium & Electuræ hæredem, *Jo-*
bannem dicam? qui à procerâ & heroicâ staturâ quâ e-
minebat, atq; illâ, quâ in Imperio R. valebat, aucto-
ritate, *Magnus*; ab Eloquentiâ verò *Germanicus Cicero*
nuncupatus est. Et hujus quidem rei specimen de-
dit, quando tres potentissimos reges, *Cazimirum* Po-
loniæ, *Vladislaum* Bohemiæ, & *Matthiam* Hunga-
riæ, *Vratislaviam* Silesiorum, quam sibi deberi pro se
quisque contendebat, obsidentes, oratione gravi, co-
piosâ & admirabili, eò redegit, ut pace factâ quisq;
ad suos discesserit. Vxorem iste habuit *Margaretam*
Vilhelmi Ducis Saxonæ filiam: è quâ natus est *Jo-*
achimus I. Princeps ut dignitatis paternæ; ita & Sapi-
entia & Eloquentiæ hæres & successor. Atq; ut Pater
regibus se Oratorem probaverat, ita filius regum regi
Carolo V. in Augustis illis Imperii comitiis: quem orati-
one Latinâ, verbis, rebus et sententiis illustri accipiebat:
et cujus postea ore quasi vicario ipse Cæsar ad Princi-
pes Germaniæ utebatur. Atq; ut hic se Patre dignum
præstitit, ita & *Filiū* ex se reliquit cognominē, et virtutis
non solum paternæ, sed avitæ etiâ æmulū & imitato-
rē. Semel atq; iterum contra immanem istū nominis
Christiani hostem Turcā fortissimi militis ductor in
Hungariam descendit. Primus e' usis superstitionū de-
liris, Ecclesias Principatūs sui ad regulam Augustanæ
Confessionis conformavit: frustra utroq; socero, tum

IOHANNES
Elect. nasci-
tur M. C D.
LV. moritur
M. C D.
XCIX.

IOACHIMUS
M V S I. E-
lect. nasci-
tur M. C D.
LXXXIV.
Moritur M.
D. XXXV.
Condidit A-
cad. Franco-
furt. anno
1506. Cal.
Matis.

IOACHIMUS
M V S II.
nascitur
M. D. V.

Anno M. D.
XLVII.

Georgio Saxone, tum Sigismundo rege Poloniae dissuadente. Idem, cum Iohannes Fridericus Elector, Princeps post hominum memoriam constantissimus, ad silvam Lochanam praelio superatus, atq; à Carolo V. captivus traheretur, jamq; in eo esset, ut capitis damnatus plecteretur, celerrimis itineribus ad castra Cæsaris, qui tunc Pistricii in pago Academiae nostræ, & urbi ad Solis occasum vicino, commorabatur, perrexit: suâq; auctoritate Saxoni vitam & salutem impetavit. At enim huc usq; in hâc quidem lineâ, Auditores, progredi non erat mihi consilium: sed potius in alterâ illâ: atq; in transcurso perstringere, quo pacto Albertus ille Achilles, Principis mei proavus, ex Annâ Friderici Electoris Saxoniae filiâ genuerit* Fridericum, cui postea in divisione hæreditatis pars illa Franciæ Orientalis & Voilandiae cecidit: quiq; Noribergensibus terror, Bohemis clades, Cæsari contra Bavaros socius erat. Ille, inquam, cui è Sophia Casimiri Poloniae regis nascebatur † Casimirus, pater Alberti, qui cum Mauritio ad flumen Visurgim in Saxoniam, pugnam illam Sivershusianam, vel, ut ego vocârim, Cadmeam, pugnavit; & in quâ scilicet victus flebat, victor autem interibat: ille, quem cognomen Alcibiadis Germanici possedisse, memoriae proditum est. Sed cur tamen, ut obiter quæram, Alcibiadis potius, quàm ad exemplum avi sui, Achilles? Meministis, opinor, qui fuerit

* Anno M.
CDLX. qui
postea mori
tur anno M.
D. XXXVI.
die suo nata
li. VI. Non.
Liberorum
XVI. pater.

†
M. CD.
LXXXI. qui
Budæ mori
tur M. D.
XXVII.

☞
Anno M.
D. LIII.

fuerit

fuerit Atticus ille Alcibiades. aut in memoriam vobis
 revocabo? faciam. Sanè inter omnes constat, nihil
 illo fuisse excellentius, vel in vitiis, vel in virtutibus:
 ut in eo Natura quid possit, videatur experta. Natus
 summo genere: omnium multò formosissimus: ad
 omnes res aptus: consiliiq; plenus. namq; Impera-
 tor fuit summus, disertus: & tanta oris atq; oratio-
 nis commendatio, ut nemo ei dicendo possit resiste-
 re. Idem, cum tempus posceret, laboriosus, patiens,
 liberalis, affabilis, temporibus callidissimè inservi-
 ens. Idem simulac se remiserat, nec causa suberat,
 quare animi laborem perferret, luxuriosus, dissolu-
 tusq; reperiebatur, ut omnes admirarentur, in uno ho-
 mine tantam morum dissimilitudinem tamq; diver-
 sam naturam. Atq; hoc *Alberti* speculum esse volunt,
 qui historiam ejus scripserunt. quòd ego quidem cu-
 rioso Auditori præstare vix habeam. Alter *Fride-
 rici* filius erat *Georgius*, cognomento *Pius*: quì impe-
 rium suū Ducatu legersdorffensi in Silesiâ, beneficio
 avunculi sui, *Vladislai* regis *Hungariæ*, amplificavit.
 Quamquam hoc planè nihil est, præ illo, quod jam
 dicam. Hic ille est *Georgius*, qui inter primos, anno
 1530. Augustæ in extremâ Imperii & Orbis Chri-
 stiani perturbatione, in summo existimationis suæ,
 fortunarum, sanguinis & vitæ periculo, quum po-
 tentissimi quiq; etiam per Germaniam trepidarent,

ALBER-
 TVS Alci-
 biades na-
 scitur anno
 M. D. XXII.
 moritur
 M. D.
 L. VII.

GEORGIUS
 nascitur
 M. C. D.
 LXXXIV.
 moritur M.
 D. XLIII.

doctrinae suae de Christo, & salute aeterna confessionem *Carolo V.* atq; adeo toti Orbi terrarum, incredibili animi magnitudine, exhibuit: facinus hoc suum egregio insuper epiphonemate exornans, Se paratissimum esse, cervicem carnifici potius frangendam praebere, quam a Confessione oblatam vel unguem latum discedere. Vxores ordine habuit ternas. Prima erat *Beatrix*, *Iohannis Scaligeri* filia; *Matthiae Corvini*, qui rex Hungariae, immo Rex Regum, illius ævis summus, soror. Altera *Hedvigu* *Caroli Mönsterberg Ducis* F. sed utraq; improles. Tertia deniq; *Æmia*, *Heinrici* cognomento *Pii Saxoniae* Principis, *Mauritii & Augusti Electorum* soror, & mei Principis mater germana. Hoc igitur Patre, hac Matre, his Majoribus sanguinem & spiritum, & disciplinam, & amorem *DEI* rerumq; divinarum hausit noster *GEORGIVS FRIDERICVS*: qui mihi, mihi autem? immo vobis, Auditores, totiq; adeo Christianae Reipub. hodiernum diem funere & sepulturam suam facit lamentabilem. Hæc felix illa arbor erat, quæ est seminario Marchiaco pariter & Saxonico plantata, in eam excreverat amplitudinem, ut Ecclesia Christiana sub eâ & umbram & fructum carperet. Ea verò excisa, hodierno die terram operitur, nec umbram deinceps nec fructum mortalibus suppeditatura. Hoc illustrissimum illud Christianae Ecclesiae sidus erat. at

nunc

nunc è caelo suo detractum, hodiernâ die squalore & tenebris obducitur. Deum immortalem! quæ suspiria, quæ lamenta, quos plangores nunc audiri dicam in Franconiâ? miseror miseriam vestram ex animo mei francones. Videor mihi videre alium sibi capillum scindere, alium genas lacerare; alium pectus verberare; alios, Patrem-patriæ interire; alios, Delicias & amorem Franconiæ exarescere; alios Nutricium litterarum deficere: alios Columnam Religionis everti; alios, Lutheranorum præsidium dejici: alios alia, quæ diversis diversa, non diversus suppeditat dolor, quiritari. Videtur mihi tota illa antiquæ fidei & virtutis nutricula Franconia eodem funere cum Principe suo ad sepulturam efferi. Quid sedemus? quid circumspicimus? Auditores, quin unâ eamus exsequias? Effertur Franconia: effertur Franconiæ Princeps. Nonne hoc est dicere? Auditores: Effertur soror: effertur frater Ecclesiæ. soror, inquâ, nostra, noster frater sepelitur, Vuiteberge nses, Et nos non moveamur? nullû amoris aut doloris indicium edamur? aut mihi saltem publicum dolorem miseranti, deq; tanto Principe dicenti hora una invideatur? Non factum hucusq; à vobis, Auditores; non fiet, opinor. Sed ne piis manibus & Virtuti Principis optimi prævaricari videar, qui Majorum laudes ita desiderat, ut suas tamen

nolite

nolit intermitti: recensendo ea tantum perstringam, quæ ille propria quasi & peculiaris habuit. Cancrorum genus est minimorum, quos pinotheras vocant: isti, quò tutiores sint, inanium concharum testis se condunt: & cum accreverint, migrant in capaciores: ita quidam majorum suorum titulis se tuentur, cum suis diffident virtutibus. Aut ut fugitivis ab altaribus ac templis Deorum revulsis, nihil superest, præter mortuorum sepulcra: ita reperiuntur, qui, cum verâ suâq; gloriâ destituantur, imaginibus Majorum sese efferunt. Sed hoc in nostro Principe adeò locum non habet, ut ambigere possis, utrum ille plus lucis & gloriæ à familiâ suâ acceperit, an plus in eandem ab sese intulerit. Nihil à me gratiæ dari (neq; enim nunc aut locus est aut pretium adulandi) nihil pro re dici, aut Oratorum modo exaggerari, norunt omnes, qui hunc Principem in parte Franconiæ, Voithlandiæ, Silesiæ Prussiasq; imperium Patris nē dicam an Principis? gessisse, non ignorant. Vetus est, & nisi fallor Augustini: *In hoc præsentis tempore non sunt nisi hæc tria. Nasci, Laborare, Mori.* Ad hoc viri sancti effatum, tanquam ad obrussam (ut ait Cicero) exigemus nostrum Principem: & *Nascentem & Laborantem, & Morientem* in hoc tumultuario theatro spectabimus. *Nascebatur* Princeps meus Onoltzbachii, veteris Marchionum in Franconiâ sede, anno Christi mil-

G. FRID.
nascitur.

lesimo,

lesimo, quingentesimo, tricesimo nono, ipsis Nonis Aprilibus. Quarum quidem mentio si in Poetam nunc incidisset, ecquis vestrum ausit dubitare, quin spiritu & voce contentâ exclamaret, *Hunc, Christiane, diem numerâ meliore lapillo: Huic linguis animisq; fave: & quæ alia feliciore aliquo die, cujusmodi hic erat, dici, fieriq; consuevêre.* Diem Natalitium quovis modo honorare & celebrare, potentiores imprimis, ab ævo primo solitos esse, etiam vulgus in circulis fabulatur. Ita *Carolus V.* (ne longitûs abeamus) ut diem suum *Natalem* * celebriorem redderet, Augustæ in medio foro publicâ & solemnî ceremoniâ, Principi Sax. Mauritio honorem Septemviratûs & Ensem, Iustitiæ & Cæsaris vindicem, tradidit †. Ita legitur *Adrianus Imperator Spectacula natali suo die gratis dedisse populo: in eisq; tantam vim ac numerum bestiarum cæsum esse, ut centum leones, totidemq; leænæ pariter conficerentur.* Idemq; Athenis quoq; mille feras dedisse in stadio, munusq; gladiatorum per sex dies continuos. At cui tandem bono ejusmodi laniena? quam tamen lanistæ isti *delicias* & *cibum oculorum* appellabant. Meus verò Princeps quum Natalem luculentâ aliquâ atq; imprimendâ memoriæ notâ celebrare vellet, non quidem candido, quod Thraces imprimis solebant, calculo: aut bestiarum gladiatorumvé laniatu, eum insigniebat: sed re tali, quæ, cum insigni Reipubl.

*
VI. Calend.
Martias.

†
Anno M. D.
XLIIK.

D

Chris

Canobium
Heilsbrun-
nense fun-
datur.
Otho Comes
ab Andechs,
Rom. Imp.
Cancellari-
us & postea
Epif. B.
Anno M. C.
X. X. I. I.

Nam & Ha-
gelsbrun no-
minatum le-
gitur.

Christianæ emolumento, ipsi gloriam & memoriam,
non hujus modo diei, sed omnium, quos inter homi-
nes vixit, sempiternam pareret. Monasterium est in
agro Francico, tertio milliari à *Noribergâ*, quam *um-
bolicum Germaniæ* quidam nuncuparunt, distans: diæ-
ceseos Cisterciensis, & ordinis *Divi Bernhardi*, qui *Clau-
re-vallis Abbas* sub id tempus in maximo erat pre-
tium; fundatum ab *Othone Bambergensium Episcopo*,
qui primus omnium Sclavis, vicinisq; populis im-
manitate barbaris religionem Christianam persua-
sit: qui idem & eâdem de causâ, *Stetinensium & Po-
meranorum Apostolus* suo tempore dictus est. *Heilsbrun-
nam*, quasi dicas *Fontem Salutis*, appellârunt, nomen-
clationis ratione mihi quidem non tam expeditâ
quàm *indoles* vocabuli minatur, & *superstitio Mo-
nachorum* credi voluit. Monasterium ædificiorum
splendore & amplitudine oppido cuivis etiam mayo-
ri æmulum: opibus verò & proventu annuo facile
cuncta superans. Eum locum elegit Princeps meus,
in quo Natalis sui monumentum statueret: non qui-
dem, ut dixi, meliorem aliquem lapillum, quali fe-
liciores dies prisca illi signabant: nec parem *Cleopa-
træ* unionem, quamvis ducentis quinquaginta mil-
libus coronatorum æstimatum: sed illam potiùs
πρόλιπον μαργαρίτην, quam ille *Divi Matthæi* negoti-
ator omnibus rebus divenditis emebat: hoc est, pre-

tiosil

tiosissimam Evangelii doctrinam. Nam Cænobi-
 um cæno & sorde Monachorum inquinatum, scopis
 illis, quibus in historiâ sacrâ denarium quærens mu-
 liercula domum totam everrit, acerrimè perpurgans,
Virtutis & Litterarum, ut sic dicam, *Plantarium*, aut po-
 tiùs *Ephebejum* ibi constituit. in quo non quidem cen-
 teni ab Adriano aliquo leones, aut totidem gladia-
 torum paria committerentur; sed ex omni juventu-
 te Principatûs ipsius centum selectos alumnos, in
 spem & firmamentum, Reipub. Christianæ, educa-
 rentur: qui pro illo de tribu Iudæ Leone, unico nostri
 generis vindice *IESU CHRISTO* & gloriâ ejusdem
 contra Diabolum, & quos lanista iste gladiatores aut
 veriùs sicarios & præmiatores submittit, fortissimè
 præliarentur. Scholam, inquam, aperuit Princeps
 meus die suo natali in quâ centum (quod diceba-
 mus) ex omni ditione suâ tenuioris quidem pleròsq;
 fortunæ, sed melioris tamè ingenii adolescentes, im-
 pendio & sumtu magnifico educabat. quos deinceps
 ordine omnes (nisi qui ordinem quâvis ex causâ anti-
 cipantes legitimum tempus non expectant) quem-
 vis cum stipendio quinquaginta florenorum in Aca-
 demiam emittebat. Nec alter alteri prodere illud
 cogebatur, nisi priùs munus & officium pro suis vir-
 tutibus nactus esset: si in annos etiâ plurimos eo frui in
 Academiâ libuisset. Atq; hic Natalis est mei Principis:

Ibidem G.
 FRID. scho-
 lam aperit
 die suo Na-
 tali, anno
 Christiano
 M. D.
 LXXXII.
 Nonis Apri-
 libus.

GEORGIUS
Pius, Pater
G. FRIDERICI,
R I C I, mo-
ritur.

hæc ejusdem solemnis quasi instauration & ad me-
moriã atq; exemplum posteritatis insanã illã Pyra-
midum substructione perennius, atq; adeò majoris eo-
molumenti monumentum. Anno Christi M. D.
XLIII. ætatis suæ LIX, moritur pater G E O R G I O
u s, cùm Princeps meus adhuc puer esset quadriennis.
Mater verò *Æmilia*, cui unicus hic filius jam erat o-
mnia: ut dicere eidem potuisset, quod apud Home-
rum *Andromacha* *Hectori*: - οὐ μοι ἔσσι πατὴρ, καὶ πόντος μητὴρ,
ἠδὲ κασιγνήτω, οὐ δέ μοι ἰσάλευρος παρακόϊτις: qui erat amplissi-
mæ ditionis ac potestatis hæres unicus, qui expecta-
tionem magni Principis à Majorum famã sustinebat:
à quo omnes subditi, à quo Resp. à quo Ecclesia ipsa
aliquando amari, ali, sublevari augeri, protegiq; debe-
bant: hoc, inquam, preciosissimum Fortunæ melioris
depositum mater sollicitè adservabat, & veluti oculu-
lū quem quis habet unicum, in spem boni Publici, te-
nerrimè educabat. nec permittere sibi poterat mater-
ni animi sollicitudo, quæ ad omnia etiã tutissima trepi-
dare solet, ut eum longius è domo vel ad Academias
vel gentes extraneas amitteret: multò minus, ut in-
ter arma ancipites bellorum eventūs experiri sine-
ret: ad quod tamen exempla Majorum & indoles ge-
nerosa adolescentem mirum in modum stimulabant.
Videbat prudentissima mater, consultius esse, uni-
cum filium domi inter manus atq; oculos interq;

G. FRID.
Filius unicus
unicè domi
educatur.

imagi-

imagines majorum educari ac foveri, viris ex omni
 Germaniâ arcessitis, qui Pietatis, Virtutis, Doctrinæ
 & Morum Principalium quoddam speculum repræ-
 sentarent, in quod adolescens Princeps quotidie in-
 tueretur, seq; ad imaginem eorum omni curâ com-
 poneret. Ut enim vina non modò sui soli referunt
 saporem, verùm etiam arborum aut fruticum vici-
 norum: ita non solùm exprimimus eos, unde proge-
 niti sumus; sed & eos, quorum consuetudine sumus
 usi. Dici enim non potest, quanta vis sit conversa-
 tionis mutua. Et quemadmodum qui in ungenta-
 riâ tabernâ resederunt, & paulò diutius commorati
 sunt, odorem loci secum ferunt: Ita qui cum melio-
 ribus consuetudinem habent, etiamsi hoc non agant,
 tamen redduntur meliores. Apparebat in istâ etiâ an-
 norum immaturitate egregia ingenii & iudicii matu-
 ritas. quippe vis illa originis ac langvinis ante diem
 solet ebullire, neq; annos semper exspectare. & qui
 ejusmodi sunt, in eorum animis semina virtutis &
 sapientiæ faciliùs comprehendunt, & adolescunt tem-
 pestivius. Nec illud Tullii alienū hîc videri debet, quo
 affirmat, sæpiùs ad laudem atq; Virtutē naturam sine
 doctrinâ, quam sine naturâ valuisse doctrinam. Mu-
 sica etiam non indelectabatur: nec alios in eâ audire
 solam, verùm & canere ipse, etiam senior, gestiebat.
 Vel quia studium hujus a naturâ omnibus est insitum:

Inter alia
 genii & pri-
 mæ ætatis
 tyrocinia
 Musicam e-
 tiam doc-
 er: quam &
 grandî im-
 pendio &
 sub nobilib.
 magistris
 semper pe-
 fca fovit.

vel quia animadversum est, ejusmodi sono modula-
 tiore & concentu flexanimo onus laborum trans-
 mitti procliviùs, & affectùs, quos in tam gravi ac dif-
 fuso imperio sæpius asperari ac turbari necesse est,
 hujuscé voluptatis delinimento sedari atq; ad ordi-
 nem revocari: quod vel Homericus Achilles experi-
 ebatur; & ille, qui Lacedæmonios suos durissimis a-
 lioqui legibus coërcebat, Lycurgus. Ego existimo,
 (liceat mihi apud vos sensum animi exponere) amo-
 rem harmoniæ Musicæ in Principe hoc adolescente
 notam ac præflagitionem fuisse, semina nobilioris
 cujusdam harmoniæ latere in isto pectusculo, quæ
 cum ætatis incremento vires sit acceptura, totamq;
 hanc Germaniam personatura. Cujus ergò harmo-
 niæ? nempe illius, quam Leo IV. Romanorum Im-
 perator *harmoniarum omnium suavissimam* appellabat:
 quando scilicet Cor & Os, Mens & Lingva, Ratio
 & Oratio tanquam concordēs symphoniaci de Fide
 & Veritate (fas esto sermonem ita figurare) cantile-
 nam suam modulantur. Reverà Princeps meus eo
 ingenio natus erat, eoq; more atq; exemplo vivebat,
 ut animum in fronte promptum sine fuce, sine falla-
 ciâ semper gestaret: neq; ullam rem magis averfaba-
 tur, quàm mores istos novitios, quibus pars multo
 maxima sub personâ Civilis prudentiæ, frontem qui-
 dem aperiunt, mentem verò tegunt, sensumq; animi

Spectamen
 antiquæ
 Franconie

Sub

sub lingvâ potiùs, quàm in lingvâ habent. Gloriosè de se Hercules apud Euripidem prædicat, se non esse virum duplicem aut bilingvem. Pariq; fiducia Capaneus gloriatur, se habere Cor sincerum, & Os affabile. Ignosce Hercules, ignosce Capaneu: suspicio mihi incidit, hominem Græcum pro argumento hunc concentum animorum & lingvæ in vobis liberaliùs prædicasse. hîc nihil gratiæ datur, nihil argumento: omnia in hoc Principe aperta erant & sine ullo simulationum involucro. ut in ingenuâ istâ & simplici fronte imaginem antiquæ Franciæ agnosceres: antiquæ, inquam: nam quæ nunc succedit ætas (ignoscant mihi Francones mei) metuo ut æquè possit hanc famâ sustinere. Quamvis interea non negem, aliquando intervenire tempora, quibus Principi hæc talia adsumenda sint; & vel ab invito quædam simulanda, quædam etiã cum dolore dissimulanda: si modò ad effectum consiliorû suorum venire satagat. Nec posse fieri videtur, quin hisce moribus *Simulans* illa *Afrani* per occasionem in theatrum producat. & in magnâ præsertim Republicâ illud veterani Imperatoris audiat: *Nescit regnare, qui nescit dissimulare.* Nam quòd Cicero ad filium pertendit, Ex omni vitâ Simulationē et Dissimulationem tollendam esse; censent Politici de privata eum intelligere, non de hâc publicâ. Cate-

Nusquam si-
mulator; nisi
si probono
publico.

rùm

Historiarum
amans.

Clavo Reip.
mature ad-
movetur.

Vxorem du-
cit ELISA-
BETHAM,
IOH. V.
March.
Brand. F.

nūm et Historiarū lectione delectatus traditur adoles-
scens noster Princeps. Cum enim indolis suæ heroicæ
periculum suo cum periculo, ob causas modò com-
memoratas, procul à patriâ atq; inter peregrinos facere
non posset; tutiore viâ, sed et tritiore, mortuos doctores
& Consiliarios, quos Alphonsus Sicilia rex optimo
jure appellabat optimos, sibi elegit, qui vivunt & lo-
quuntur in Historiâ: quam quidem verissimam di-
sciplinam, exercitationemq; ad res civiles esse, quis ne-
scit? in hâc enim, tanquam in speculo vitam tuam
ad alienas virtutes ornare & componere fas est: in
eâq; hoc præcipuè salubre ac frugiferum est, te omnis
exempli documenta in illustri posita intueri: ut in-
de tibi tuæq; Reipublicæ, quod imitère, capias: inde
fædum inceptu, fædum exitu, quod vites. Cum igitur
Princeps noster studio & ingenio ætatem præcur-
reret, mature clavum imperii tenere, & gubernacula
Reipublicæ tractare iustus est. Idem & anno Christi
M. D. LII. ætatis decimo nono, id quod natura
flagitat, & lex Christiana jubet, uxorem ducit: quam
illam? planè qualem Callimachus Dioni svadebat,
virtute & fortunâ sibi æqualem, *Elisabetham* Iohannis
V. Marchionis Brandenburgici filiam, Ioachimi I. E-
lectoris neptem. illius, inquam, *Iohannis* qui, cum an-
no M. D. XLII. librum istum sacrum & horri-
bilem, quem *Interim* vocabant, (Poëta aliquis fide

mini

minimè poeticâ *Pantheram* aut *Hyenam* ex re, quam
 emunctior aliquis odorare potest, indigerasset) Cæ-
 sar & pleriq; in imperio Romano Principes factioni-
 bus etiam & potentiâ maximè formidabiles, Eccle-
 siis nuperrimè reformatis omni vi obtrusum cupe-
 rent; incredibili animi magnitudine Cæsarem adiit,
 & Ferdinando rege præsentè petiit, ut in eo sibi par-
 ceretur. Cæsar cum Ordinum Imperii consensum
 hunc esse diceret, nec ab eo recedi oportere: Iohan-
 nes contrà; Quicquid sit, se bonâ conscientia decre-
 tum hoc probare non posse. Cæsar tantam constan-
 tiam illudq; adamantinum animi robur nullis minis,
 nullo etiam sanguine mitigandum admiratus, jubet
 eum quamprimum urbe discedere. Quod quidem
 ideò factum esse putabatur, ne suo vel exemplo, vel
 sermone aliorum animos ille confirmaret. Itaq; sub
 vesperum eodem die domum versus proficiscitur: nec
 quicquam per suam ditionem immutat, quantumvis
 ipsius etiam frater *Albertus Elector*, itemq; *Palatinus*
 monstrum istud libri unâ cum aliis reciperent. Hujus
 herois filiam *Princeps* meus uxorem habuit: quidnî ut
 sanguine, ita & Pietatis æmulatione Parenti simili-
 mam? Ea verò anno Christiano M. D. LXXIIIX.
 VVarsoviæ in Poloniâ è vitâ hâc & quidem impro-
 les discessit. Cui anno proximè sequente ad VIII.
 eidûs Iunias, in matrimonio successit *SOPHIA* ab illu-

Ea mortem
 obiit VVar-
 soviæ.

E

stris.

Eidem in
matrimonio
succedit SO-
PHIA Lu-
næb. omni-
bus Animi.
Corporis
Fortunæq;
bonis orna-
tissima
Princeps:

Mariti in-
primis a-
mans;

lustrissimâ Brunsvicensium & Lunæburgensium fami-
liâ: matrona, si genus spectes, nobilissima; si mores,
lectissima: si pietatem, hoc Principe dignissima. Sa-
pientia Iesu filii Sirachi, aut potius Sapientia Iesu fi-
lii *IEHOUE*, Siracidâ interprete, bonam feminam
ad hanc faciem describit: *Vt Sol oriens in supremo cæli
loco: sic pulchritudo bonæ mulieris in ornatu domus ejus. ut
lucerna splendens in sancto candelabro, sic pulchritudo formæ
in ætate constanti est: ut columnæ aureæ super basi argentea:
sic mulier corde stabili: & quæ plura ibidem sequuntur;
sed & quæ antecedunt. Estimare, obsecro vos, qui-
cunq; Sophiam Principis mei; quicunq; artem et colo-
rem Spiritûs sancti novistis: nonne in hac tabellâ per
Siracidæ illam Sapientiam, hujus *SOPHIÆ* expres-
sam depinxit effigiem? depinxit, ita me Sapientia
illa amet, picturâ non opacâ aut hispâ & facie dimi-
diatâ, sed excitatâ & distinctâ colorum differentiâ
perfectissimam. Ea tamen ipsa *SOPHIA* (heu res
humanas! ut totum hoc, quod vivimus, dolor &
gaudiû invicem commiscent! neq; quicquam homini
tam prosperum divinitûs datum, quin ei tamen ad-
mixtum sit aliquid difficultatis!) Ea tamen ipsa, in-
quam, *SOPHIA*, quæ, ut Sol oriens in supremo cæ-
li loco; quæ, ut lucerna splendens in sancto candelabro;
quæ, ut columnæ aureæ super basi argenteâ re-
lucebat; hodierno die luctu & squalore cooperta, tu-*

nus

nus carissimi Mariti (quid .n. dicam aliud?) ad sepul-
 turā profecquitur. Alcestis Admeto Thessalorū regi nu-
 pta, cum fatalis dies marito instaret, et tamen Apollinis
 beneficio longiorē moram impetrasset, si quē amico-
 rum, qui pro se volens moreretur, invenisset: recusanti-
 bus universis, ip. pro marito mortua est. Quid fabu-
 las narramus & somnia Poëtarū? Hoc ego, illustrissi-
 ma Domina Sophiā, de pietate tuā certō persuasum
 habeo, si posses vitam defuncti mariti vitā tuā redi-
 mere, ab hoc sepulchro te nemo hodie avelleret: vi-
 tam & animam pro marito, pro patre patriæ, pro
 nutritio Ecclesiæ profunderes. ita, ut quæ ab aliquot
 seculis fabula fuisset, abs te demum inciperet esse hi-
 storia; Fæminam in Franconiā inventam, quæ, ut
 maritus viveret, ultrō vitā se abdicarit. Utinam
 generosæ hujus stirpis vel unicum nobis plantarium
 relictum foret; ita jacturam ejusdem mitiūs dolere-
 mus. Certē cum tu illustris Princeps, ingenio, vir-
 tute, dignitate ac fortunis Patri minimē impar esses;
 hoc uno tamen major ille, tu minor fuisti, quōd & illi
 habere, & tibi non relinquere talem filium contige-
 rit. Sed censeamus hæc etiam, ut cætera, pendere à fa-
 tali illā divinæ providentiæ dispositione, quæ nemo
 hominum vel consilio prudenti, vel remedio sagaci
 evertere aut reformare potest. Fortasse benignissi-
 mus *DEUS*, pro amore, quo eam partem Franconiæ

Et mortua
 novō exem-
 plo iugens.

G. FRID.
 improfes. T

huc usq; complecti manifestò visus est, Principem nobis alibi destinavit, qui non modò principatum, sed & principalium virtutum hæres & successor audiat: ut Iosia aliquo Iunioris succedente, Iehiskia senioris desiderium æquiore animo feramus. Id quod omni animorum contentione & votis abs te, qui rex et regum, & Dominus Dominantium *IEHOVA*, ob gloriam nominis tui sacrosancti, unicè flagitamus. Bono Principi, quem imaginem *DEI* vocabant etiam, qui sine Christo quid aut *DEUS* esset aut imago *DEI*, nesciebant; tria potissimùm debent esse proposita ad quæ omnia consilia dirigat, sicut telum sagittarius ad umbilicum metæ. Primum est *Pietas*: alterum, *Communis utilitas*: tertium deniq; , *Publica tranquillitas*. Quorum primum quidem ad *DEUM* pertinet: postrema ad subditos. Multæ sunt Principis mei præclaræ palmæ Auditores: hæc tamen, ut loquitur Cicero, lemniscata est. nam cum *Pietas* fundamentum sit omnium virtutum; & rerum divinarum curatio caput sit in Republicâ: quidni & Princeps meus, qui ad optima quæq; à naturâ factus, à curâ institutus erat, ante omnia summum illud Numen (quatenus homini datum est, & lux è sacris litteris præfertur) nosse laboraret, & cognitum piè pureq; venerari? quod quidem utrumq; , nempe rectus de *DEO* sensus, & rectus in *DEUM* cultus, quâ copulâ *Pietas* constat

TRIA
Principi
Christiano
proposita.
I.
PIETAS.

constat, unâ voce *Religio* appellatur. Hanc igitur, quam Princeps meus & optimam à Parentibus acceperat, & optimam semper judicaverat, non ipse solum in omni fortunâ omniq; ætate carissimam arctissimamq; incorruptâ mente & voce habuit; sed eandem pari fide & industriâ, adde & felicitate, per omnes conditiones suas doceri & propagari ad extremum usq; spiritum sedulo instituit: neq; ullos ferre turbones potuit; neq; erroneos adeò, si pertinaces: immò nec istos, qui in suspicionem & sermunculos religionis dissentaneæ apud plebeculam, quæ offendi poterat, inciderant: quando non Cæsaris modò domum, sed & templum Domini suspicionem carere æquum censeret. Si recogito, quibus cum Princeps meus vel vicinitatis, vel aliâ de causâ plurimum conversari, consilia & sermones participare per tot annos necesse habuit, subit mirari, quo is pacto cavere potuerit, ut limpidissima illa vena, quæ à fonte Israël in pectore ipsius scaturiebat, non aliquid humoris vitiosi imbiberit! Verùm enim verò, ut juniperus, si oleo perungas, nec tineas sentit, nec cariem: ita semel imbutus divini spiritus succo animus, nullam hujus mundi sentit corruptelam. Neq; ullis minis ille terri, nec ullius potentiâ à suâ sententiâ, quam veram didicerat, dimoveri se patiebatur: sed illud, quod pro Scito & symbolo, in corde, in ore, in ære signa-

Quam & Noster Princeps unicè curam habuit: & haberi à suis voluit.

Religionis turbatores regione exturbavit.

Immò & Erroneos, si pervicaces.

Ipse constans & sui in omni vitâ similis.

Eiusdem
Symbolum.

Scholarum
cura.

Qua priva-
tarum.

Qua publi-
carum.

Magna qui-
dem sum-
ptu;
Sed exem-
ple Magno-
rum;

tum circumferebat, Si *DEUS* pro nobis, quis contra nos? veluti clypeum non Palladis Homericæ, sed Christianæ, omni violentiæ obtendebat. Nam quod Paulus, Christi ille Cancellarius, ad Romanos olim miserat, id sibi Princeps meus, qui sub Aquilâ Romanâ Christo militabat, sibi contra clavem Romanensis Petri relictum putabat. Quid Scholæ loquat? quas cum ille non ignoraret Bonorum omnium fontes esse, & Religionis, Virtutis, atq; omnis honestæ disciplinæ quoddam veluti seminarium, & publicum communis patriæ quasi armamentarium: curam earum semper habebat singularem: nec facilè ullus paulò melioris scholæ Rector, ut nec Ecclesiæ doctor decernebatur, nisi specimen Virtutis suæ præsentè ipso dedisset. Nec in unâ aliquâ scholâ, ut illâ *Heilsbrunnensi*, de quâ superius; sed verò & *Onoltzbachii*, & *Hofii* subditorum liberos, si qui majoris ingenii essent, quàm opulentæ, educavit. Ne quid interim de iis dicam, quorum apud nos *VVittebergæ* ad sexaginta studio Theologiæ destinatos, aluit; grandi quidem impendio, nullo tamen rerum suarum dispendio. Nam quod Leo Papa de re aliâ, cordatus aliquis in scholarum ejusmodi patronos, tanquam ab oraculo, dixerit: *Da quod accipias: Sere, quod metas: sparge, quod colligas:*

quamvis

quamvis non habeas, nisi quod acceperis, non potes tamen non habere, quod dederis. Et quod hic Leo Papa faciendum censuit, id alter Leo Imperator fecit: licet haud magnâ cum gratiâ suorum purpuratorum. Nam cum is Eulogium quendam hominem pium & doctum ad aperiendum in urbe scholam stipendio liberaliore invitasset; & propterea à suis proditæ pecuniæ argutus esset, quòd eam non potius militiæ impendisset, respondit: Majorem se à DEO Optimo Maximo rebus suis prosperitatem non optare, quàm ut omnes militiæ sumtus huc conferre liceat. Nec est obscurum, quid in hanc sententiam Alexander Magnus Quæstori suo Leonidæ, nimios sumtus in rebus sacris & musicis fieri conquirenti responderit: Si diu felix esse vis, ne sis in DEUM & res divinas parcus. Hoc verò Princeps meus sibi dictum censuit: hoc fecit: ob hoc & felix, & diu superstes (quæ quidem nunc hominum ætas est) per DEI gratiam imperio præfuit. Hoc tu, quisquis es Princeps, imitare: et parem à DEO immortali gratiam tibi tuisq; audacter pollicere. *IAM* verò *Communis utilitas*, si ulli Principi, huic certè curæ fuit maximæ. Cum enim probè sciret magno imperio magnam curam inesse, et moderatori Reipublicæ beatam civium vitam esse propositam: ut ea opibus firma, copiis locuples, gloriâ ampla, virtute honesta sit: nec servitutem ci-

Et pro re
magnâ.

II.
COMMV-
NIS VTI-
LITAS.

vium

vium sibi traditam, sed tutelam: ad candidam hanc metam Bono Principi destitutam, tanquam regius athleta, strenuè contendebat. Principi, inquit magni Principis magnus doctor, cui omnia licent, propter hoc ipsum multa non licent. Omnium domos illius vigilia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius industria: omnium vacationem illius occupatio: Et ex quo se Princeps imperio dedicavit, se sibi eripuit. Hoc de nostro Principe dictumne an prædictum, quis ambigat, nisi qui nesciat, quomodo is imperium in hac temporum difficultate & paucitate bonorum Principum gesserit? Tributa & artium istarum novitiarum exactiones, nec curiosius noster exquisivit, nec immodestius imperavit; satius existimans, cum bono pastore pecus tondere potius, quam deglubere. nisi si quando extrema urgeret necessitas; cui parendum omnibus, qui se et Remp. salvam esse cupiunt. Tributa enim & pacis sunt ornamenta, & belli subsidia. Non attendit hæc vulgus, scio ideoque in contribuendo asperior, & reditus quidem ac proventus Principis acribus intuetur oculis; ad erogationes autem & sumtus connivet. Immo ego factum commemini, & fando interea dum in Saxoniam hæreo, accepi Principem meum ejusmodi Tributorum ministros, quod novos sinus & nova prædandi vocabula excogitassent, præterque imperatas pecunias privato suo commodo servissent, spon-

gias

Quod studium Principi nostro proprium.

Tributa modestè exegit

gias fecisse, & expressisse, quod plus æquo biberant: quosdam etiam in crucem actos tanquam uvam pensilem Soli & aëri oppegisse, ut pecuniolas & sudorem commissæ fidei ipsorum plebeculæ iterum excludarent: cæteris Mutianis & Marcellis *δημοσβόγης*, & ut sic dicam, poplivoris, in exemplum. Nec tamen Princeps meus pecuniæ, quam per Virtutem fortunamq; habebat, per delicias aut turpitudinem illudit, pessimo tyrannionum exemplo, qui divitiarum & pecuniæ non alium fructum putant, quam luxum & profusionem. Cùm meminisse deberent, se communium illorum bonorum, quæ provinciæ contulissent, custodes tantùm esse & dispensatores. Noster fecit: & nescio an supra fortunas suas & mores seculi profusus fuerit: Beneficus certè erat & liberalis; *ubi, & quando* opus: quod jure ita mitigo. Sunt enim, qui perdere quidem sciunt, donare autem nesciunt: quibus luxuria specie liberalitatis imponit, & dum hiantes amicorum, quid si & adulatorum? cupiditates explere nimio opere festinant, indignis sæpè nimia largiuntur, præteritis dignioribus: parùm attendentes, ejusmodi largitiones, si modus absit, verti in exitium Reipublicæ; nec unquam tanta studia se adsequi eorum, quibus dederint, quanta odia eorum, quibus ademerint. atq; hoc etiam plerunq; sequi, ut *Subitæ largitionis comes sit peritientia*. Quod

Eorumq; Ad-
ministratores, si
Lavernio-
nes, aliquan-
do severius
coercuit.

Pecuniæ suæ
non prodigus.

Sed, tan-
quam alie-
nam, pro usu
publico se-
posuit.

Donavit;
sed cum de-
lectu & Mo-
do.

si qui tamen, vel in Aula vel alibi non satis pro virtute & meritis à Principe meo honorati sibi videntur, fortunæ potiùs impudent, quæ in totâ ratione mortalium (liceat hic usurpare in probo sensu Philosophi sententiam) utramq; facit paginam; Accepti scilicet & Expensi: oculosq; reflectant ad famosas illas pyxides, unam plumbo, alteram auro æquali gravidam: quarum cum Imperator, nî fallor, Sigismundus, optionem liberam dedisset ministro infortunium suum conquerenti, ille aureâ, quam tamen suis meritis deberi putabat, relictâ, alteram cum plumbo, nullâ Imperatoris vel invidiâ vel culpâ, eligebat. Ita nimirum morbus olim hodieq;, & præcipuè in Aulis, viget (liceat ita loqui) epidemicus; ut, quod alter per Virtutem pretium meretur, alter per Fortunam accipiat. Non dicam, quantos Princeps meus sumtus quotannis fecerit, ut DEO & templis suis constaret honos. Quantû in formatoria juventutis & officinas litterarum & Virtutum, Scholas inquam, et earum magistros impenderit; quantum item, ut Curia & theatrum illud Iustitiæ singulis & universis apertum & incorruptum pateret! Ius. n. & Æquitas vincula sunt civitatum: & his corruptis, quid sunt magna etiam regna, nisi magna latrocinia? Augusti Cæsaris est; sed dignum Christiano aliquo Augusto; Pietate et Iustitiâ Principes dii fiunt. Hoc sciebat meus Princeps;

Grandem
fecit impen-
sam pro sa-
lute Reli-
gionis.

Reipub.

hoc

hoc urgebat : hâc viâ, prælucente facem Iesu Christo, ante hos quinquaginta præterpropter dies ad Deum in caelos ascendit: cujus exsuvia hodierno die urbe & domo patriâ efferuntur, & in vicinâ Heilsbrunnâ inter Majorum cineres sepeliuntur. Quid dicam, quos sumtus effuderit, dum pro defensione regionis hinc inde in provinciis longè sejunctis militem præsidarium per arces & oppida, ubi opus, dispositum habuit? quid arces, quid municipia memorem, quæ ille ingenti sumtu ornavit & amplificavit? Festis est arx *Blasensburgum*, potentissimo etiam hosti formidabile propugnaculum, quondam *Alberti Alcibiadis* sedes, itemq; ad radicis ejus montis urbs *Culmbachium*, civitas nunquam sine præfatione honoris mihi quidem nominanda. Testis *Byruthum*, in quâ Arcem honori & tutelæ, si ita sors ferat, Conjugi *Sophiæ* (heu, jam non conjugii!) eâ magnificentiâ exstruxit, ut votum superbissimæ etiam reginæ possit æquare. Quid alia dicam? quid autem *Onoltzbachium*: quam quidem, cum lateritiâ à Majoribus accepisset, marmoreâ successori reliquit. Si quis in vobis est, Auditores, qui ante hos viginti annos eam inspexit, is sciat, se præter colles & valles, quæ antiquam faciem retinent, non imaginem *Onoltzbachii*, sed imaginis umbram tenere. Iam *Wiltzburgum*, quam arcem à nono nemine etiam *Trutzburgum* vocari audio, quinto,

Pro tuendâ regione.

Pro ornandâ:

Pro muniendâ.

milliari ab Onoltzbachio distantem, oppidoq; imperiali *Weissenburgo* imminentem, quid attinet commemorare? Viginti camelos ex Indiâ, totidemq; à vicinâ *Rotenburgo* mulos aquigerulos non sufficere opinor portandæ pecuniæ, quæ inibi insumta est. Nec ea tamen periit: quando sumtui par etiam opus apparet. Finge tu aliquis animo, quicquid ad munimentum pariter & ornamentum arcis & propugnaculi facere existimas, *Wiltzburgi* invenies. Ita, ut qui ab illâ cælesti arce destitutus esset, videri poterat in hâc arce contra mortalem aliquem hostem præsidium invenisse. Quantam insuper vim pecuniæ annis hisce proximis in bellum, pro communis patriæ & juris sui (scitis quid velim) adsertione erogavit! Cæterum mitem illam & mollem divam, *Clementiam* dico, quæ homini omnium virtutum convenientissima, quia humanissima, imprimis amabat: atq; ideò amorem etiam subditorum sibi facile omnium conciliabat: quæ sanè tutela & excubiæ Principi quâvis arce, quovis satellitio tutiores sunt: cum cætera vi aut fraude perumpantur. *Hæc arx* (vetus ait autor) *inaccessa, hoc inexpugnabile munimentum est, munimento non egere.* Duos memini Principes *Stephanum Bojorum, & Eberhardum Vuirtebergensium* Duces, hoc sibi præ cæteris quasi palmarium ducere, atq; inter præcipuos fructus, quos

pro libertate
Germaniæ.

Princeps
non verbo,
sed vere
Clemens.

Hinc in imperio
quies.

Hinc subditorum
Amor
& Fides.

de

de terrâ suâ perciperent, numerare: quòd tutò au-
derent, quocunq; tempore ac loco in sinu uniuscu-
jusq; ex subditis suis in utramq; aurem dormire.
Addatur istis, addatur meus Princeps pari fide &
jure tertius: quem non modò quivis subditorum,
sine curâ dormientem sinu fovisset, sed & periclitan-
tem suimet pectoris objectu, propriæ salutis ac vitæ
prodigus, defendisset. Oculos etiam, immò & cor-
pus à sangvine & suppliciis damnatorum semper
subtrahebat; satis habens, jussisse supplicia, quæ ius-
titia priùs svaserat, non spectare. Meliusq; puta-
bat esse vitiosas aliquando Reipubl. partes sanare,
quàm execrare. Nec tam, ut ipsi noxii perirent,
quàm ut alios pereundo deterrerent. Idem meus
Princeps, quod in tam arduâ rerum administratione
natura cogit, & ratio svadet, remissum quidem sæ-
piusculè animum habebat, nescio tamen an unquam
solutum. Unde & paulò crebrior erat in silvis ac ve-
natu: & amabat atq; etiam alebat & quidem sum-
tuosius, quæ eò pellicerent. Hinc sermunculi ori-
ri, & querimonix in vulgo de ferarum insolentiâ
& injuriis. quasi optimus Princeps æquissimum im-
perium hâc unâ salebra asperaret, illustrissimumq; no-
men hoc fumo et nebulâ inficeret. Ego sanè nescio, qui
prior isthinc discessi, quàm judicare potui. Quis tamen
nescit, plebeculam in ejusmodi querimonias procli-

Solutus num-
quam;

Sed ad le-
gem naturæ
aliquando
Remissus;

Atq; idè
crebrior in
venatu;

Quod Curios
si vellica-
bant;

Vtrum ipsius
culpa, in A-
etionum s

Opinor, ho-
rum.

vem esse? & verrucam, si qua hæret in formoso cor-
pore, identidem respectare, non item corpus? Quod
si ita esset, & ea res huc pertineret, docerem fortasse,
Principem meum tot virtutum ornamentis coruscasse,
se, ut mirer, si nubecula ista officere tanto clarori in-
gente tam candidâ potuerit, aut etiam debuerit. Au-
ditores, tenebrarum illud remedium à Naturâ reper-
tum, Luna, hodie plena & pernox fulsit: in eâ vidi-
stis, opinor, etiam spargi nubeculam. Ecquid ea, ob-
tenuem illam maculam, non satis nocti luxisse; non
satis Naturæ profuisse cuiquam accusetur? Opinio ta-
men erat & sermunculi etiam non obscuri, Aetionas
istos & Dianæ alumnos, ut offam sibi perpetuò ve-
narentur, haud rarò Africam aut Cretam aliquam
aut etiam Arabum Scenitarum regionem bono &
minimè suspicioso Principi in mediâ Franconiâ fin-
xisse: hoc est, raritatem, immò vastitatem cervorum
aprorumq; alicubi persuavisse domino: ubi noviti-
us aliquis Hercules laborem decimum tertium quar-
tumq; in æripede aliquâ cervâ, a proq; Erymanthéo
fortasse invenisset. Quin & hoc fecisse Principem
meum pervulgata veritas est; ut, si quis subditorum
gravius aliquod damnum ferarum Principalium
causâ fecisset, illud omne, quanti æstimaretur, haud
rarò compensârit. Nescio an alibi etiam Principes

vena

venatui indulgeant, cum querimoniâ subditorû; neq;
 enim hæc mea est curatio, qui nisi in saltu Heliconio
 venari non soleam, neq; etiam debeam. An Prin-
 ceptus meus Dianam unus sibi rapuit? unus ille canes
 aluit minusvè dicam an nimis venaticos? O mei Fran-
 cones! feramus hosce canes, hanc Dianam, hunc ve-
 natorem. Nonné videtis Canem illum tricipitem ab
 Occidente vos, non vestra; immo vos & vestra inhia-
 re? nonné Dianam Cerberi istius nutriculam? nonné
 Venatores? Quid velim, vestra sit, Auditores, æsti-
 matio. Deus, cui nihil clausum est, qui animis ho-
 minum & cogitationibus mediis intervenit, qui ope-
 rum & consiliorum inspector, iudex & vindex, con-
 silia, quæ isti coquunt, & quæ struunt, optimè novit.
 Quem eundem etiam supplex rogo venerorq;, ne
 peccatis populi sui infensior, cultissimam vineam,
 quam Princeps meus tantâ cum fide & curâ planta-
 vit, *Sues* istæ bipedes aut rostro evertant, aut propagi-
 nes ipsius sputo venenent: nevé bipedes istæ *Vulpes*
 malleolos palmitesq; obrodant, & vinetum Domini
 calvatum efficiant. *TERTIUM* quod Principi Chris-
 tiano propositum esse debere dixi, erat Pax & pu-
 blica tranquillitas. O dulce nomen Pacis! (liceat
 cum Tullio exclamare) rem verò ipsam tum jucun-
 dam tum salutarem! & quâ non modò ii, quibus sen-
 sum Natura dedit, sed etiam tecta atq; agri mihi læ-

Franeonia,
 Cave C A-
 NEM; sed
 & VVLPE-
 GV LAM:
 Scin' quam?

III.
 PUBLICA
 TRAN-
 QVILLI-
 TAS;

tari

Quæ sub hoc
Principe
Francis pro-
pria.

In Pace ta-
men Belli
rationes non
neglectæ :

Quæ & pe-
cuniâ quasi
nervis ho-
dierni mili-
tis corrobora-
tæ :

ri videntur. Lætata es, medius fidius, ô mea Fran-
conia, jucundo hoc & salutari bono, quâ domi
atq; in oppidis, quâ foris atq; in agro, quàm diu
Princeps re & nomine *Georgius-Fridericus* imperium
ibi tenuit. Quis vestrûm, etiam qui in senioribus
estis, tumultum in civitate vidit? quis domesticum,
quis peregrinum militem in utrâq; provinciâ terrori
sibi ac damno fuisse meminist? Hoc ego quidem
memini, aliquoties virorum armorumq; certamen
& periculum in urbibus juxtâ & pagis factum, do-
ctrinamq; militiæ demonstratam esse longâ securi-
tate imperitis, ut omnia in campestri meditatione
prænoscerent, quæ in acie atq; in præliis evenire
possent: sed quæ tantùm abest ut pacem & tran-
quillitatem patriæ infecerint, ut robur etiam, & ut
sic dicam, spiritum & colorem eidem suppeditârint.
Nam rerum quies & firmitas est in militari pruden-
tiâ. Dum ergo in pace vivitur, de bello cogitan-
dum est, & quei pacis turbatores, si fortè opus sit,
coerceantur. Atq; hoc Princeps meus scivit, hoc fe-
cit. Cumq; intelligeret, Bellum esse non in milite
solùm & armis, sed in expensis & sumtibus, per quos
efficacia illa & utilia fiunt, semper aliquam pecu-
niæ summam in eum usum seposuisse, ejusq; vim
haud sanè mediocrem coegisse, constans fama est.
Et certè, ut nunc quidem mores sunt & ingenia mi-

litum

litum, ante omnia opus sunt opes: aut nihil fiet quod opus est. Pecunia nervi sunt & spiritus vitales militiae: hæc motum hæc animam illi suppeditat. Crede mihi, ad tinnitum argenti plures concurrent, quam si decem è Græciâ Demosthenes, totidem è Latio Cicerones persuadendo militi conduxeris. Cretes pleriq; facti sunt milites nostri, qui pro symbolo frequentant: *Venalis mihi dextra: ibi fas ubi maxima merces.* Vetustas Gigantes nescio quot & quantos fabulata est, qui cælum expugnare sint aggressi, Hodie tam robusto tamq; numerofo milite non erat opus. Unum mihi Plutum da, & tibi duodecim illos majorum gentium deos è cælo deturbatos dabo. At enim verò, non pro tali milite, qui flagitia sunt militiae, & terrarum suarum purgamenta, adde & hirudines ærarii: sed pro eo potius, qui pro aris & focis sanguinem animamq; fundere paratus est. Tu benignissime Deus, qui idem & Dominus es exercituum & princeps Pacis, thesauri hujus quem à famâ talem accepimus, Hæredi, quicumq; sit futurus, quemq; hodie suspicari magis, quam nominare fas est, eam dementem rogo, ut hanc partem hæreditatis isto fine adisse recordetur. immò hoc potius, ò Deus, omnium animorum contentione supplices rogamus, ut nulla unquam ejusmodi tempestas & calamitas patriam invadat, quæ sibi medicinam hinc fieri postulet: sed

G

ut

ut pax et securitas, quæ sub defuncto Principe Franconiam hæctenus tenuit, porro etiam cum Successore ibidem habitet: ut alibi commorata esse: hæc domicilium fixisse Concordia prædicetur: nec ullum unquam in ea gente bellum sit nisi humanissimum illud & omnium gloriosissimum, cum *Vitis*. Cæterum, quæ argumenti benignitas alia dicenti sufficiebat, nunc quidem à me commemorari non debent: ne & patientiâ vestrâ abuti, & universas Principis mei laudes unius hujus orationis ambitu circumscribere velle videar. Restat, ut de *Morte* ipsius dicam. At ô me miserum! Egone ille omnium infelicissimus, quem fata ad hoc tempus reservârunt, ut eum Principem audirem mortuum, cui ego, secundum Deum & parentes, vitam debeo? eum subire tenebras, cujus unius ego auspicio in luce hæc Academiæ hominumq; clarissimorum versor? Nescio quid in Patriâ atq; Onoltzbachii factum sit: è meo tamen affectu si aliorum æstimare liceat, non dubium est, quin multi ex iis qui ad feralem illum lectulum morienti adstitere, oculis privari se maluerint, quàm mori videre eum Principem, pro quo mori nemo bonus non vellet, nemo non deberet. Iterum dico, me miserum! quod non in alio argumento hunc animum, hanc linguam Principi de me uni omnium meritissimo probare potuerim! aut cur id sal-

tem

More Prin-
cipis.

Et ea quib;
dem maxi-
mè dolen-
da.

tem mihi non licet, quod Poetis, silentio involvere propriam calamitatem, remq; mihi dicenti acerbam, & vobis auditu luctuosam, præterire? Mentione mortis profectò cor mihi & cerebrum liquefcere sentio, Auditores. Vnde enim vox ista singultans, & verba semesa? unde lacrymæ, quas ex his oculis ebullire cernitis? Mors Principis mei Auditores, mors Principis mei vocem mihi & oculos frangit. Scio, quid mihi dicturi estis: Principi tuo optimè factum: mare hoc turbidum enavigavit, & proventus est in Beatum illum Portum, quo velis remisq; tendere debemus omnes, & quò ille imprimis tendebat. Audio sanè; atq; hoc etiam addo, ipsum sibi atq; etiam Naturæ satis fortasse vixisse. Quis tamen bonus filius patrem etiam seniore[m] quamvis æternam illam in cælis Quietem ipsi minime inuideat, nolit diutius secum inter manus atq; oculos cum bono privato publicoq; versari? Noster enim nisi quod Principis haberet nomen, quid cætera aliud quam Pater erat? ut alios quidem à prisco ævo nomen Patris - Patriæ tenuisse, hunc usurpasse existimes. Et quid tamen faciamus? quando quidem neq; Constantia virum nimis lugere funera suorum svadeat, neq; Pietas Christianum, mittamus querelas, aut certe mitigemus, oculos, atq; animos ad vulneris hujus auctorem erigentes, nempe DEVM. Deus hoc non permisit solum

Sed tamen
& toleranda:

Quia Deus
qui Pater,
qui Opt;
max: est.
eam immo
lit.

sed immisit. Quid nî ergò æquum censeamus, vt sibi homo non displicere sinat quod Deo placuisse intelligit? Certè Ne cessitatis id unicum est effugium, vel le quod ipsa cogat. Velimus igitur, velimus, mei Francones, quod Deus voluit: nec in ullum certamen nos dimittamus, quod in nobis non est vincere. Cogitemus Deum: Deo subijciamur: & in hoc casu mentem flectamus ad magnam illam mundi Mentem Providentiam. ne in pudorem Christianorum scripsisse videatur Philosophus non Christianus: *Ad hoc sacramentum adacti sumus, ferre mortalia: nec perturbari his quæ vitæ nostræ potestatis non est, in regno nati sumus: Deo parere libertas est.* Sic ergo Principem meum ad veteris & principis Theologi de vitâ humanâ sententiam vidimus *Nasci, vidimus Laborare, vidimus etiam (ah quàm vellem hoc unum omitti posset!) Mori.* Idem & hodierno die sepelitur, aut quod perinde est, domicilium tam illustris Domini an hospitis ex oculis & usu hominum amovetur. Videor mihi Auditores, gemitus & lamenta non plebist solum, sed & Nobilitatis Francicæ, imò Principum virorum ac feminarum Heilsbrunnæ audire. Videor mihi, Sepulcretum & Templum illud, & illum templi *Ambitum, Fontemq;* in eo *Salatarem* octo & viginti siphonibus aquas eiaculantem, totidemq; in templo *Altaria* tum pretio tum artificio & religione

vene,

Princeps
sepelitur,
inter lacri-
mas & que-
relas omni-
um Bona-
rum

veneranda, omnes parietes, omnia deniq; loca ma-
 rore ac squalore tanquam veste lugubri cooperta, ad
 conspectum funeris contristari. Quæ voces sint re-
 liquorum, facilius est animo concipere, quam ver-
 bis exponere. At *Schola*, quæ ibidem est, si vocem
 emittere & loqui posset, cui dubium est, quin hoc aut
 tale quid diceret? Tu Illustrissime Princeps, cum vide-
 res, quantum in Repub. Christianâ momentum habe-
 rent Scholæ, me per Dei gratiam procreasti, rebus
 omnibus necessariis instruxisti, ingenti sumtu aluisti,
 & quod caput est, in studio cultuq; Pietatis, Virtutum
 ac literarum sancto sinceroq; eduxisti. Memini te
 cum hunc illum vè Curatorem huic Monasterio præ-
 ficeres, qui alumnis educendis præesset, dicere: *The-*
saurum, quem habeo omnium pretiosissimum tibi
 trado commendòq;. Quantum igitur cunq; veluti-
 litatis vel honoris in Patriam hinc redundavit, quan-
 tumq; deinceps redundabit, tibi debetur. Quòd in
 Ecclesiâ religionis puritas, in Curia sanitas consilio-
 rum, in Scholis disciplinæ integritas, in reliquâ vitâ
 morum & actionum honestas alicubi alumnorum
 meorum operâ vigent, tibi debetur. Quòd in meo
 seminario uberioris etiam fructus spes apparet, ti-
 bi debetur. Nunc ego misera, te Patre orbata sum
 eâ tempestate, quâ Patris maximè indigebam. Quò-
 ne igitur relicta proles convertam? quos rebus meis

Nominatim
 illustris.
 Gymnasii
 HEILS-
 BRUN-
 NENSIS.

Quod pro
 Thesauro pi-
 si habitum.

Vitam &
Successor
quique sit
futurus.

DA, O DE
V S, da.

org bono
quodam
audiam

G. F. sepel-
tur Heils-
brunnæ.

Patronos, quos curatores invocabo? Nam ut Pa-
trem aliquem & tui similem mihi sperem vix est ni-
si fortè, quem tu hæredem Principatûs destinasti, i-
dem pari modo divinæ hujus Virtutis tuæ (ut sic di-
cam) hæreditatem adrat. Id quod sperare, aut po-
tius confidere animus me jubet, atq; ut fiat, Dei quoq;
misericordiam supplices imploramus. Hoc Scho-
la illa Heilsbrunnensis poterat. Nos vero, quandoqui-
dem hanc legem universo generi humano datam esse
videmus: quam adeò non abrogare fas, ut nec obroga-
ri ei liceat, aut derogari: neq; magis mirum aut no-
vum sit, mori Principem, quàm Principis ministrum:
volentes pareamus: & quod necessariò patiendum
est, etiam libenter patiamur in quo & ipso aliquod est
solatium: sed in eo tamen maximum, si cogitemus,
nò solum Deum esse, qui ita de Principe & nobis sta-
tuerit, sed etiam Patrem. Si pater, qui bonitas & be-
nignitas totus est; qui non sic bonum et salutare, quod
de Principe nostro fecit! quicquid sensibus oculisq; ali-
ter videatur. Sed quo me fluctus affectuum extra
viam rapiunt? Non iterum hoc volebam, Audito-
res; sed illud de Principis mei *Sepulturâ*, quâ (ut dixi)
hodierno die Heilsbrunnæ in Franconiâ afficitur.
Colligitor ergo mi optime Principum ad tuos in
dormitorio quod ante hos quinque & triginta annos
in ipso ætatis flore, ad hunc ulum quem hodierno die

pere

percipis, ædificari aut certè refici curasti. Quod tunc futurum animo præcipiebas, & ut aliquando, cum Deo visum esset, fieret, Christiano voto, etiam exoptabas, id hodie fieri cum insigni pompâ & honore (nam & hoc significatum nobis est) memineras. Eòdem condebatur ante hos sexaginta annos pater tuus *Georgius*; eòdem ante hos sexaginta septem, avus *Fridericus*: eòdem ante hos centum septendecim proavus *Albertus Achilles Germanicus*: eòdem Majores & Conlangvinei plures, qui & fundus & firmamentum generis vestri erant: ne *Feminas* dicam Principalis & regii sanguinis, quorum ossa & cineres de tanto nomine reliquæ ibi custodiuntur. Cæteros autem quis enumeret *Nobiles, Equites, Comites, Principes, Præsules, Episcopos, & Archiepiscopos*? quorum ingens multitudo post conchitorem *Rapathonem Comitum ab Abenberg*: sub eotemplo sepulta est. Tu, illustissime Princeps *Georgi-Friderice*, huic corpori, tanquam unio, adhuc unus deeras: qui Christianæ Reip & Patriæ & omnibus bonis in ea vnicè quondam carus eras; nunc mortuus ex æquo omnibus magis ut sic dicam, vnicè desideraris. Nescio enim quæ fiat, ut carendo magis quàm fruendo, quid boni habuerimus, intelligamus! Cæsar Caligula conquestrus est, suum ævum nullâ calamitate insigniri. Nescio quam calamitatem intelligat illa fundi

Anno
M. D.
XLI II.

Anno M. D.
XXXVI.

Anno
M. C. D.
XXXVI.

Cæsa.

Casarei calamitas. Hoc ego palam dico, Franco-
 niam quidem nobiliori calamitate insigniri nullâ po-
 tuisse, quàm morte hujus Principis. At tu, optime
 Princeps, qui fato tuo functus es, & hodierno die
 (quod sæpe repeto) Heilsbrunnæ funeraris, Salve &
 Vale: quid enim dicam aliud? Salve inquam, &
 Vale, ô Principum Princeps: & quem tibi mortuo
 honorem nunc VVitebergæ habeo, scias, immò sci-
 at etiam illustris hæc & frequentissima omnium or-
 dinum & ætatum concio, quam cum admiratione
 & tacitâ quâdam (si verbum aut res potius in me nunc
 potest cadere) læticiâ, ex isto loco intueor; scias, in-
 quam, minimum tuorum beneficiorum, quibus me
 à puero cumulasti, non hunc solum sive honorem
 sive officium, sed vel alterum tertiumq; tantum pro-
 meruisse. Iterum salve, unicum Franconiaë nostræ
 heu quondam & tuæ, solatium; nunc desiderium.
 Salve, inquam, exemplum & spectamen Boni Prin-
 cipis, GEORGI FRIDERICE. In quo bono
 nomine, ne vestrâ Auditores, patientiâ nimium a-
 buti velle videar, desinam: etsi nec meum votum,
 nec fortasse spem vestram, nec laudes tanti Principis
 nec partes deniq; Oratoris implere potuerim. TE
 tantum Omnipotens Deus, Patrem ingenitam, Fili-
 um de Patre unigenitum Spiritum Sanctum de utroq;
 procedentem, atq; in utroq; permanentem,
 Sanctam

Sanctam & Individuam Trinitatem, unum æternumq; Deum, justum & misericordem, qui fundasti terram in potentiâ tuâ, & regis Orbem terræ prudentiâ tuâ, precibus calidissimis invoco: ut, quoniâ tuæ cælesti providentiæ, quam nulli hominum per-vestigare, nulliq; reformare fas est, placuisse video, optimum Principem et Patrem nostrum è terris subtractum cælo addere: tu nobis desertis orbisq; Dominus & Pater immò Deus sis propitius & volens. Da alium nobis, qui tuo itidem auspicio & curâ quasi vicariâ (nam & Principes communi tecum nomine dignaris, quando eosdem vocare *Deos* soleas) Rempubl. bene atq; ex utilitate omnium regat. Quis ille sit futurus, tu, cui nihil obscurum, non ignoras: nos adhuc suspicamur, oculoq; mentis hunc illumvè designamus, et *Sucessorem* tacito voto flagitamus, qui gentem & sanguinem participet nostri Marchionis. Ita futurum speramus, ut *Georgius Fredericus* non è vitâ & Franconiâ excessisse; sed annis canisq; exsutus in se altero juventutem & imperium denuo auspiciatus esse judicetur.

DIXI.

H NE

NE SEQVENTES PAGELLÆ
RELINQUERENTVR VACVÆ, PLA-
CVIT ADIICERE ELEGIAM IN OBITVM
ejusdem Principis scriptam

M. Sebastiano North Gernbrunnensi.



*Erræa vox magnis optetur vatibus, ora
Centena, & metricos in numeros totidem
Optentur lingua; queis sacris pectora Clia
Fundendi offer sit carmina divitiis:
Albi Pater, Pater Albi tuas mihi suffice lymphas,
Totusq; in lacrymas i, Pater Albi, meas,
Huc etiam sese penetret largissima flendi.
Materia, ad ripas, Saxonis ora, tuas.
Ah quid ego demens, quid aquas in funera posco?
Non opus est lacrymas, non opus, Albi, tuas
Vndas. In lacrymas à memet abivero totus,
Totaq; in humentes Francia vertat aquas,
Non tamen illa sum redivivum à funere sistet,
Cui secuit filium nupera Parca, PATREM.
O mea, mœsticia quantum te Francia, quantum
Ærumna! sensus turbat imago meos.
Ire mihi hunc videor vellentem à stirpe capillos, (suas
Cadentem hunc pugnīs pectora, & huncce
Ad*

Ad celum palmas, madefactaq; lumina frustra
Tendentem, hunc medicâ pocula mista manibus
Et data theriaci increpitantem alabastra veneni.
Tot facies luctus forsitan huius eunt.
Ni similesq; Eadem FRATRES, similesq; Decorem
Rimandi hoc vita nobilioris iter
Magno illi emensum, populo plaudente, GEORGO
FRIDRICO, geminos cerneret ora Duces
Francoæ telluris, ubi ex terra quarere regna
Cessit Papalis iussa superstitio;
Vix lacrymarum unquam, aut queruli desistere luctus,
Singultu medios impediens sonos,
Francorum foret ulli, accepta ob vulnera, cura,
Perpetuus luctus, perpetuus gemitus.
Sic etiam Isacidum feraci carmine Gentes
Deslerunt Regis tristia fata sui,
Cantorumq; ordo, vatisq; monodia fleuit
Sacriati, querulos doctâ cingere modos,
Sanctum Iosiaden, quem non virtutis egentem
Miserunt Pharii militis arma neci.
O mihi Iova DEVS tantum si conferat umbram,
Umbram, Mæonio nectere verba pede.
Quàm vellem at sileo. Magni vox, credo, Maronis
Deficiet, ceptum lassaq; ponet opus.

H 2

Anne

Anne aliquid laudis tantis Natalibus orto

Phœbeum Heroi carminis addet opus?

Anne aliquis celo regni venientis habenas

Dignâ, ut rexisti Marchio, laude vehet?

Haut ita. Nobiliore luto præcordia Titan

Finxerat, haut fama qualibet apta tua

Buccina. Virtutis custos, rigidusq; satelles

Postulat in laudes Arma virumq; suas.

Postulat Hymniferum sanctæ custodia Legis,

Quam veniente die, quam fugiente fuit

Mente animi posuisse labor. Sic Illius acta

Cesserunt laudi, Maxime Christe, tua.

Nimirum sic est. Superi cui gloria cordi

Numinis, & jussæ Religionis honor,

Huic lemniscata succrescit adorea palma,

Huicce laboratas terra ministrat opes.

Sic sub vite suâ, nullo discrimine pacis

Aureola, requies omnibus una fuit.

Ipsaq; honoratum senserunt commoda lovam,

Publica, spes avidi sensit & agricola

Quosq; fuit Fabricis operæ infelicis ademptos

Ardor ad Aonios associare greges;

Pauperiemq; sacris facilem fecisse colendis

Pieridum. Exempli cernere num quid amas?

Ecce.



Ecce. Mihi demto jam tertia Olympias anno
Bellerophontæas suppeditavit aquas,
Nil humiles juvère suam de plebe parentes
Progeniem, hæc patrio cura levata animo
Munificas quesivit opes. Quàm protinus illa
Nacta fuit, Clarij ut scriberer inde gregis!
Audio mature quod non vindemitor uvæ,
Quod non conductis annumerorq; operis,
Exercetq; meas quod non Furnaria palmas,
Dum poteram, ingenio nunquam aliena meo:
Sed meliore cibo ripam quod pascor ad illam,
Ad quam Gorgonei penna volavit equi:
Cui debebo? cuiq; adscribam hæc omnia sorti?
Debeo, MÆCENAS ALTER, id omne tibi.
Nonne igitur lacrymis spargam rorantibus ora?
Nonne vocem latices, Mœne, vel Albi, tuas?
Festinamq; gemam fugitivâ astate rapinam,
Qua tanti Heroem rebus iniqua sacris
Mominis exemit? Revenit revirentibus ætas
Arboribus, tibi nil, quod fuit ante, redit.
Cur vixisse datum est multos cornicibus annos,
Esse sed angustâ conditione homines?
Nectarei quis non Tithono pocula potus
Invideat, seros dantia pocula dies?

O tibi, Magne Pater Patria, procudere vitam
Cur nequeo? vite pars aliquanta mea
Demta, tuisq, foret transcripta senilibus annis.
Sic benè vult animus facta referre meus.
At bene dispositum est viduatum Principe Regnum,
Dispositum, ad votum, Patria cara, tuum.
Expediunt turba medicamina fortia mæste,
Celitis exemplo, Corcula bina, novi:
Et desiderii, & magni solatia luctus,
Passuq, ad Patrias alite prona vias,
Vivite felices anima, quibus (ò benè factum!)
Incorrupta datum est signa tulisse pedum.
Tu quoq, cœlicolum capiens jam gaudia Regum
Vtere sorte tuâ. Vtere sorte tuâ.

F I N I S.

ABSENTE AVCTORE,

Mendæ sanè plusculæ, præsertim in Interpunctionibus, irrepsērunt, quarum aliquot pauculas, quæ fest nanti occurrerunt, emendare placuit.

Pag. 16. lin. 16. pro. re leg. tempore.

P. 24. l. 20. post ducit ponatur colon.

P. 28. l. 6. l. rex es r.

P. 32. l. 19. post scio pon colon

P. 38. ad oram pro in leg. an Aet.

P. 39. l. 5. minus nēd.

P. 44. 21. plebis s.

P. 45. ad marg. ipsi hab.

P. 46. l. 5. adeat.

P. 47. l. 13. reliquia.

Ibid. ad marg. lin. 8. leg. L. XXXVI.



QK 11 2 3419

MC

10/17



Q.K. 94, 24.

X 19.03.400

Celfi
GEO
MARCHIONI
RVM, STETINI
dolorum, &

Hab

Fri



Typis Zache



CI,
BORUSSO-
RUM, VAN
ggravii



eluvichii.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Kodak
LICENSED PRODUCT

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------

